

14. **Concilium est particulare** quando coadunantur Episcopi alicujus partis Ecclesiae; vocatur *nationale* quando convocantur omnes episcopi alicujus regionis sub praesidentia primatis; erit *provinciale* si vocantur episcopi alicujus provinciae ecclesiasticae; habetur synodus dioecesis quando ad tractandum de rebus ad dioecesim pertinentibus convocantur omnes clerici alicujus dioecesis sub praesidentia episcopi.

15. **In legibus edendis Romani Pontifices adjuvantur Congregationibus Romanis.** Congregationes Romanae sunt quaedam Collegia Cardinalium quae nomine Summi Pontificis tractant de rebus ecclesiasticis. De valore decretorum harum Congregationum fiet sermo in capite *De Congregationibus Romanis*.

16. **Alios fontes juris quidam auctores reputant consuetudinem, jus civile et jus naturale.** Merito tamen illi fontes reducuntur ad auctoritatem Summorum Pontificum. Consuetudo eatenus valet quatenus ei accedit consensus saltem legalis legislatoris; jus civile vim legis ecclesiasticae habet in his dispositionibus quae ab auctoritate Ecclesiae fuerunt canonizatae, i. e. introductae in corpore juris; jus naturale est fundamentum omnium jurium, cujus interpretes est Summus Pontifex.

CAPUT III

DE COLLECTIONIBUS JURIS CANONICI

17. **Leges quas, data opportunitate, Ecclesia constituebat, decursu temporis, in plures codices fuerunt coadunatae.** Horum codicum non eadem est auctoritas: in quibusdam reperiuntur documenta minus genuina, in aliis deficit authentica probatio legislatoris, qui solus vim legis